UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Scientia Salvtis, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam Spiritualis Vitæ Materiam complectens

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

242. feria 5. de fine belli contra vitia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-59837

Visual Library

tiarum, ſeu virtutum. Filij Iſraël perſecutio ne creſcebant. Exod. 2. item Eccleſia. 10. Virtutes jam adeptas notificat; nemo ſe in pace novit, militis vires prælium oſtendit. 11. Animam vincentem magnificat. *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo meo.* 12. Deum glorificat: *Invocabo me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.* Ad Hebr. 4. 13. Chriſto nos aſſimilat, qui ſponte in hac vita tentationes ſuſtinuit. Matth. 4. Hæc omnia tentatio victa operatur. Tentatio autem vincens, contraria.

MEDITATIO CCXLII.

Feria 5. Domin. 10. poſt Pentecoſt.

De fine belli contra vitia.

ASpiciam finem turbulenti belli adverſus vitia, eſſe ſerenam pacem. Petam eam conſequi.

Conſ. 1. Tribus modis ſolet pacis lux poſt belli tenebras exoriri. 1, quia hoſtes mutata voluntate inimicitias deponunt. 2. Quia altera pars belligerantium ſubjicitur imperio Victorum, & ab armis ceſſare compellitur. 3. Quia a victoribus in nullo parcentibus populus victus magnâ ſeveritate extinguitur. Amicitiam cum vitijs inire non licet, Exod. 23. & 34. Itaque primum ſignum pacis non erit. Vitia etiam ita ſubjici non poſſunt

poſſunt, ut vivant nobiſcum: reſtat igitur una aſſequendæ pacis via, ſi extinguatur.

Conſ. 2. Quomodo Num. 33. dicatur: *Diſperdite omnes habitatores terræ illius, confringite titulos, & ſtatuas comminuite, &c. aliàs erunt clavi in oculis, & lancea in lateribus.* Extinctis autem ijs poſſumus, ſecūdùm conſuetudinem eorum, qui pace fruuntur, de promovendis bonis cogitare, & vitijs evulſis virtutes plantare.

MEDITATIO CCXLIV.

Feria 6. Domin. 10. poſt Pentecoſt.

De optimo vitia ſuperandi modo.

Videbo me in armamentario bellico, & præeligam Sapientiam, quia *melior eſt Sapientia, quàm arma bellica.* Eccli. 9. A qua petam artem optimam vitia ſuperandi.

Conſ. 1. Vnum genus armorum, & victoriæ eſt, non eſſe victum: quando tentationes luctantur cum milite Chriſti, ipſe autem virtute deſtitutus tantùm non conſentit, periculoſus eſt hic cōflictus, ſicut enim ex ignorantia ſequitur error, ſic ex defectu virtutis vitium committitur.

Conſ. 2. Alterum pugnæ genus multò præſtantius per ſtudium virtutis, videlicet per triplicem virtutis gradum. 1. eſt, in tentatione nihil vitij interni, externíque admit-